

Ex. 156. (11)

III, 21,

V

3062

De Jure Vicaniuum Super
Academias conformando

X2313674

DECANUS
ORDINIS JURIDICI
IN ACADEMIA WITTENBERGENS
**CASPAR HENRICU
HORNIUS, JC.**

Codicis Prof. Publ. Consiliarius Regius
& Electoralis in Senatu Provocationum
nec non Collegiorum Juridicorum, quæ hic sunt,
Assessor,

LECTURIS OMNIBUS

S. P. D.



DIGITALISATION

Open Access Repository

Digitized by the Internet Archive

CAPITAL MUNICIPAL

COLLECTOR OF

CHURCH PROPERTY GOVERNMENT RECORDS

AND OTHER PAPERS OF THE CHURCHES

AND OF THE CIVIL GOVERNMENT OF THE STATE

AT THE

STATE LIBRARY





Vi antiquitates Academicas excusserunt, inter eos omnes convenit, Imperatores ac Reges Francicos æque ac Germanicos a *Caroli Magni* ævo Scholarum publicarum suscepisse curam, atque non tantum de illis instituendis reæque ordinandis, verum etiam conservandis sollicitos fuisse. Optime enim intellexerunt, quam multum intersit, illos, qui bonorum civium officia aliquando subire, & regendæ reipublicæ, ac sacris Ecclesiæ ministeriis adhiberi debent, in tenera ætate bene institui, atque bonarum artium doctrina & morum præceptis ad ea, quæ postea peragenda sunt in omni vita, redire præparari. Cumque existimarent, hanc juventutis institutionem a nemine melius feliciusque tractari posse, quam ab illis, qui vitæ monasticæ addicti, vel aliis collegiis ecclesiasticis adscripti tum otio abundabant, tum & sufficientibus vitæ sustentandæ subsidiis non destituebantur: monasteriis vel aliis ædibus sacris Scholas plerumque adjunxerunt. Natæ tamen postea & aliæ Scholæ cura beneficioque Imperatorum, ac Regum, in quibus majora studia omniesque artes liberales pleniori manu tractabantur, quæ propterea *Universitates Studiorum*, vel *Studia generalia* dicta sunt, & passim incrementa ceperunt variis privilegiis juribusque exornata. Inter quæ & illud potissimum fuit, quod Cæsares & Reges dignitatibus scholasticis honoribusque illos condecorari justerint, voluerintque, qui doctrina insigniter excellerent, ut scilicet discentibus stimu-

stimulus adderetur, quo ad majorem diligentiam, laboresque sustinendos perpellerentur. Id vero, quod Imperatoribus atque Regibus placuit, & e publica re visum est, imitati sunt postea feliciter Principes & Status Imperii, postquam hæreditario & proprio jure provinciis atque regionibus præesse suis incœperunt. Varias enim passim & majores & minores Scholas condiderunt; & in Comitiis a *Maximiliano I.* Imperatore *VVormatiæ* celebratis anno a nato Christo M CCCC XCV. gravi sapientique consilio de excitandis provehendisque studiis doctrinarum Ecclesiæ ac reipublicæ necessariis deliberatum est. Ubi quidem re in omnem partem bene pensitata, a summo Senatu Septemvirum hæc ratio accommodatissima credita est tantæ rei perficiendæ, si e Septemviris quisque Academiam in sua ditione institueret, atque ea viris doctis instrueretur. Quæ causa fuit, quod a D. *Friderico Sapiente Electore Saxoniæ* Academia hæc nostra in urbe *VVittenbergensi* fundaretur. Quoniam tamen *Studii generalis* seu *Universitatis Studiorum* hæc potissima ratio habita, quod in ea honores Academicci bene meritis ita distribuerentur, ut horum vis ac usus esset per universum, quam late patet, Imperium, nec a quoquam axioma tale in dubium vocaretur, Cæsareis privilegiis opus esse visum est, quibus potestas dignitates scholasticas conferendi vim suam ubique exserentes inniteretur. Jus hoc majores Scholas privilegiis & juribus istis exornandi ad reservata Cæsareæ Majestatis semper est relatum, quo scilicet solus usus est

est Imperator tanquam fons omnium dignitatum, abs-
que consortio Ordinum Imperii nostri: neque temere
reperiatur, qui Cæsari dubium fecerit partem hancce
summæ Majestatis. Etsi enim non desunt, qui affirmant,
quos nec male sentire puto, posse & quemlibet Princi-
pem Imperii vel ipsum, vel per alios, quibus hoc man-
dat, in territorio suo, vi territorialis potestatis, quæ
summam Majestatem æmulatur, honores Academicos
conferre: potestas tamen, quæ intra territorium, usu Ju-
ris Publici se continet, non impedit universale illud Cæ-
fareum Jus, quod per totum Imperium Romano-Ger-
manicum se diffundit. Quam ob causam etiam recenti-
ores a Statibus Imperii conditæ Academiæ, earumque
Fundatores non satis suis rebus consultum crediderunt,
nisi Cæsaris autoritate jus conferendi dignitates muniretur.
Uti autem, ceu ostendi, potestas hæc Cæsaris circa eri-
gendas Academias a nemine in dubium vocatur, ita a
Juris publici Doctoribus passim disceptari solet: num &
Vicariis Imperii, qui ex veteri instituto & fundamentali
ista lege, quam in sensu excellentiori *Auream Bullam* di-
cimus, throno vacante, Imperii nostri gubernacula tra-
ctant, hæc eadem facultas sit relicta? Reclissime mihi il-
li sentire semper visi sunt, quibus affirmativa placet.
Ita enim induco animum, *Interregibus* istis omnem atque
eandem potestatem jure competere, tributamque esse,
quæ Imperatori, qui fatis, thronove cessit, data fuit, nisi
qua parte ex legibus Imperii restrictio, aut coarctatio ju-
rium manifesto se prodat. Id quod sane ipsa natura

rei satis evincit. Postquam enim ita semel placuit, ut
deficiente Cæsare, nullo existente successore, Majestas
eius, quæ alioquin imperantis discessu in totam
republicam, tanquam subiectum commune, recidit,
ad Principes hosce duos *Comitem Palatinum Rheni*, &
Electorem Saxonem interim, donec novus eligatur Rex,
devolvatur, necesse est, omnes illas partes Majestaticas,
quas Cæsar habuit, ad hosce Pro-Reges deferri, nisi qua
parte exceptio comprobari possit. Uti e contrario ea,
quæ Cæsar non habuit, nec Vicarii vindicare sibi que-
unt; ita ut sic, quæ a Cæsare solo fieri nequierunt, ve-
rum concursum Ordinum, saltem Archi-Principum, po-
stularunt, ea quoque a solis Vicariis peragi non possint.
Quousque enim forma Reipublicæ, vel Status illius im-
mutatus non deprehenditur, eundem permanere, & su-
peresse, censendum est; nec ita existimandum, morte
Cæsaris jura Statuum & præcipue Electorum, quæ per
ultimam Capitulationem firmata sunt, ulla ratione immi-
nuta esse. Neque etiam aliud, si Constitutionem Caro-
linam recte expendamus, nec vim ei facere velimus, ex
eadem colligi, & obtineri potest. Namque per modum
Universalis enunciati provisionem defert Vicariis, postea
exempla subdit, & denique exceptionem superaddit.
Quia vero nec Aurea Bulla, nec alia quædam lex publi-
ca jus circa Academias adimit Serenissimis Vicariis, satis
temerarium est, hanc Juris Majestatici partem privato
ausu Interregibus eripere velle. Ut adeo mirer, Illu-
strem Virum, qui Potentissimis Vicariis litem de hoc jure
movet,

movet , eo tantum argumento , quod res moram pa-
tiatur , atque ideo usque ad electionem novi Regis dif-
ferenda sit , existimet , rem hanc confici posse . Nescio
enim , qua ex lege sententiæ hujus rationes idoneas pro-
movere possit , & ubi res , quæ moram patiuntur , Vicario-
rum Imperio subducantur . Et profecto si has res exci-
pere velimus , omnia fere extorquerentur Vicariis , &
paucissima , quæ moram non patiuntur , illorum provi-
sioni relinquenteruntur . Quod quidem vel Conditoribus
Aureæ Bullæ vel alias etiam Cæsari ac Ordinibus Imperii
in mentem venisse unquam , ego quidem non puto . Est ,
ubi & vivo Imperatore , absente scilicet eo , vel impe-
ditio , Vicarium munus subeant Archi - Principes isti duo
Palatinus & Saxo . Quod dum fit , subordinata illorum
potestas est Cæsaris arbitrio , atque tunc nemo negabit ,
inscio vel invito eo , a Vicario Privilegia Academica imper-
tiri haud posse ; nisi forte tam ampla potestas a Cæsare
data fuerit , ut & hæc res submandato comprehensa censea-
tur . Plane si Imperator vel Rex non idoneus ad regendum
Imperium fit , qualis casus in D. *Josepho* ob teneram æta-
tem ejus , cum eligeretur , contingere potuisset , jure suo
libere , & que ac vacante throno , Vicarios posse uti , am-
bigendum non est . Utrum vero exemplum exerciti hu-
jus juris a Vicariis , allegari , ac in medium produci possit ,
dubitarunt illi , qui argumentum hocce excutiendum suscep-
perunt : Neque etiam memini , superioribus temporis
bus in ullum me incidisse , qui casum , ubi Jus hoc in u-
sum deductum , indicasset . Quæ quidem res me permo-
vit

XL
Cap
Jof

vit, ut & ipse aliquando, carere publicam rem
exemplo tali, affirmarem. Quod tamen omne nihil de-
trahit juribus Interregum Serenissimorum: quoniam
si vel maxime occasio deficit jure suo utendi; non tamen
ideo jus statim ipsum deesse, vel semper defuisse, existi-
mandum est. Et quis magnopere mirabitur rarum hu-
jus juris usum, qui cogitat, non adeo frequenter Aca-
demias condi, ac per duo vel tria secula interregna non
adeo diuturna fuisse? Sed tamen cum non ita pridem
operam darem lectioni rerum *Hassiacarum Johannis Ju-*
sti VVinkelmanni, inter alia multa, haud passim obvia,
casum reperi, ubi Vicarius Imperii Academica privile-
gia indulxit. Scilicet oppidum est in ditionibus *Schau-*
enburgenfibus, quod olim *Indago*, postea *Greven-Alves-*
bagen nuncupabatur, quasi dixeris *Comitis Adolphi in-*
daginem; hodie vero *Stadthagen* vocatur. In eo loco
Ernestus, Comes principali dignitate gaudens Schauen-
burgicus anno M D CX. Scholam Illustriorem, Gy-
mnasium vocant, boni publici causa condiderat; sed
mox tamen consilia agitavit de commutando hoc Gy-
mnasio in Academiam. Quæ res, intercedente Electo-
rali Collegio, anno XI. ad D. *Rudolphum II.* delata, nec
difficilem Cæsarem experta est. Sed tum, nescio, quæ
remoræ, tum mors ipsius Imperatoris sufflamarunt exi-
tum hujus instituti. Quam ob causam post fata D. *Ru-*
dolphi, *Ernestus* ad *Fridericum Comitem Palatinum*, Elec-
torem & eo tempore Interregem in partibus ad Rhe-
num & Juris Svevici ac Franconici accessit, atque ab eo
facul-

facultatem petiit ac impetravit , ut Gymnasium
istud in *Universitatem vel generale studium* , ut
secundum veterem formulam , tabulæ loquun-
tur , convertere , illudque vel in isto loco relin-
quere , vel in alium , ubi commodum videretur ,
transferre liceret . Factum id est A. MDC XIX.
Integras tabulas , quibus a Serenissimo Electore
Palatino tanquam Vicario facultas hæc Principi ,
juraque Academica Lyceo isti plenissime data
concessaque sunt , exhibit *VVinkelmannus* , quas hoc
transcribere institutum non permittit . (α) Di-
b gnum

(α) Dabimus tamen ex illis quædam excerpta : Wir
Friedrich / von GÖttes Gnaden / Pfalz - Grafe beym
Rhein / des Heil. Röm. Reichs Erz - Truchsaß und
Churfürst / und in den Landen des Rheins / Schwaben
und Fränkischen Rechtes Fürscher und Vicarius , Her-
zog zu Bayern ic. ic. Thun kund hiermit jedermäns-
niglich / daß der Wohlgebohrne / unser lieber besonder
und des Reichs getreuer Fürst / Ernst Graf zu Holl-
stein / Schauenburg und Sternberg / Herr zu Ghes-
men ic. Uns in Unterthänigkeit zu erkennen geben /
welcher gestalt Er mit vorgedachten Rath seiner Prä-
laten / Ritterschafft und Städten / auch dessen anrei-
nenden Nachbaren / für die höchste Nothdurft zu seyn
erachtet / ein Gymnasium , welches der Orth noch ge-
mangelt / GÖTE dem Allmächtigen zu Ehren / zur
Wohlfahrt des Heil. Röm. Reichs Deutscher Nation ,
und der blühenden Jugend zum besten / in seiner Stadt
Graven-

gnum tamen est , quod annotetur, Juris Professoribus præter Corpus Juris Civilis , Feudalis & Canonici , atque Imperii Constitutiones , allegationem & conciliationem Juris Franconici & Saxonici

Graven-Alveshagen anzustellen und auffzurichten / welches denn auch also sey effectuaret worden ic. Und wäre demnach seine fleißige Bitte an Uns / als Vicarium des Heil. Reichs / obgenannte Stadt Graven-Alveshagen / oder welche unter seinen Städten darzu für die bequemlichste und tauglichste / zur Zeit möge erachtet werden / pro loco & sede Universalis Studii zu qualificiren / und sein aufgerichtetes Collegium Professorum allda ex Gymnasio in Academiam , GODE zu sondern Ehren / zu Wohlfarth des Heil. Röm. Reichs Teutsch-scher Nation , und der Christlichen studierenden Jugend / als Pflauzen aller Geistlichen und Weltlichen Regimtenten zum besten / gleich andern Universitäten und Academien auf gewisse masse zu erigiren und zu erhöhen. ic. ic. Erigiren und erhöhen demnach in Krafft tragenden Vicariats obgedacht zu Graven-Alveshagen angeordnetes Gymnasium zu einer Universität und Academi und General-Studio, und geben ihn Graf Ernst vom Schaumburg ic. gnugsame Macht und Gewalt zu mehrgedachten Graven-Alveshagen / oder in einer andern seiner zu solchem Werck bequemen Stadt eine Universität und General-Studium anzustellen und zu ordnen. Also und dergestalt/das ihm/ seinen Erben und Nachkommen/regierenden Grafen zu Hollstein und Schauenburg concediret und erlaubet seyn soll / idoneos Professores trium Facultatum

xonici in illis commendari: (β) Quæ res mani-
festum indicium præbet, jura hæc antiqua do-
mestica per admissionem peregrini juris neutiquam
abrogata esse, operamque dare debere Juris pe-
ritos, ut utroque Jure & domestico & peregrino
recte utantur, & alios uti doceant. Visum post-
ea fuit optimo Principi Academiam in oppido
suo, Rintelino ad Visurgim instituere atque eri-
gere. Quod institutum Ferdinandus II. au-
toritate Cæsarea comprobavit, sed, quod non præ-
termit-

b 2

tum nempe Theologiæ, Juris utriusque & Medicinæ,
nec non Magistros artium & lingvarum zu bestellen rc.
So geben zu Heydelberg / den Neunzehenden Tag des
Monats Julii, nach unsers HErrn und Seeligmachers
Iesu Christi Geburth in Sechshundert und Neun-
zehenden Jahr.

Friedrich P. Churfürst.

Johann Christoff von der Grün /
zu Weyersberg / rc. der
Pfaltz Cansler.

(β) Die geistl. und weltliche Rechten in Corpore Juris
Civilis, Feudalis & Canonici begriffen / wie auch des
Heil. Reichs Abschied / neben Allegation und Concilia-
tion der Fränkischen und Sächsischen Rechten. rc.

termittendum, quoad professionem saltem artium liberalium & Philosophiae, nec non Medicinæ & Juris Prudentiæ, ceu Diploma, A. M D C XX. nono mensis Maji, in Civitate Vienna datum, sa-
tis testatur. Legi id potest apud *VVinkelmannum* loco, quem excitavimus supra. (γ) Ut adeo in hoc Privilegio Ferdinandino Theologica Fa-
cultas exclusa sit, quæ tamen in tabulis Palatinis
omni-

(γ) Ferdinandus II: Quamobrem ab illo nostro & sacri Imperii Principe fideli dilecto Ernesto, Comite Holsatiæ, Schauenburgi & Sternbergi, Domino Gehmæ &c. humiliiter rogati, ut quam magno labore gravibusque impensis in oppido suo Rinteleno ad Visurgim sito in-
stituit atque erexit Academiam, requisitis rerum omnium commoditatibus locupletatam & accommodatam auctoritate nostra Cæsarea confirmare, nec non privilegiis, libertatibus, honoribus, Franchisiis, immunitatibus & prærogativis Academicis clementer muni-
re & exornare dignaremur. Nos maturo super hoc adhibito consilio & deliberatione precibus ejusmodi per se honestis & æquis benigne deferendum duximus, ac proinde ex certa scientia ac de Cæsareae po-
testatis nostræ plenitudine in vim motus proprii ante dictum Studium ab eodem Illustri Principe Ernesto ere-
ctum ac fundatum quoad professionem artium libera-
lium & Philosophiae, nec non Medicinæ & Juris pru-
dentiaæ omni meliori forma & modo approbamus, ra-
tificamus & confirmamus, & in Gymnasium Academi-
cum erigimus &c.

omnimodo comprehensa erat. Inaugurata est post
XVII. Julii anno M DC XXI. magna pompa Aca-
demia Rintelensis. Qua de re apud *VVinkel-*
mannum & alibi plura habentur. Super est ta-
men mihi haud leve dubium, num jure Elector
Palatinus id sibi vindicaverit, ut in istis tracti-
bus Vicariatus munus usurpare? Neminem e-
nim fugit, Comitatum *Schauenburgicum* partem
esse Saxoniæ veteris inferioris, atque ideo Poten-
tissimo Electori Saxoni potius Jus esse in his re-
gionibus vicario Imperio defungi. Sed hanc rem
aliis discutiendam relinquo. Paucis enim nunc agen-
dum de ortu atque honesta vitæ ratione clarissimi
Candidati nostri ADAMI CONRADI
GARBII, in cuius gratiam hoc quicquid est
scriptionis inter alia quam plurima agenda, parum-
que firma valetudine mihi natum est. Ordiamur
autem, sicut usitatum, a patria. Aspexit noster pri-
mam lucem anno octogesimo nono seculi supe-
rioris in oppido inclyto, quod a Francis nomen
& originem dicit. Est illud *Franckenhusa* ad
VVipparim, quem locum *Franci* subactis ope
Saxonum Thuringis, cessaque sociis in præmi-
um auxilii præstiti illa Regni parte, quæ trans O-
nestruittam sita *Nordthuringia* olim dicebatur,
propter salinas sibi reservarunt, atque in eo, quod
circa annum XXV. seculi sexti post Christum na-

tum contigit, urbem condiderunt. Parentes habet
integerrimæ existimationis, qui adhuc superstites
sunt, & Patrem quidem ADRIANUM GAR-
BIUM, Salinatorem & Virum civis boni omnes
partes egregie explentem, matrem autem BARBA-
RAM SABINAM LÖHNIA M, fœminam
virtutibus sexus sui præstantissimam. Simul autem
& domestica disciplina optimorum Parentum, qui-
bus nulla major sollicitudo fuit, quam educatio filii
hujus, &, postquam doctrinæ capax fuit, Scholæ
consuetudine in pueritia ad Christianæ religionis præ-
cepta, timorem Dei & virtutum officia asverfactus
est, & primis literarum elementis eruditus. Post-
ea, cum septimum ageret annum, Parentes in ludum
nobilem patrium ablegarunt eum, ubi sub optimo-
rum Præceptorum institutione insigniter profecit,
atque avidus doctrinæ & arripiens ea, quæ propo-
nebantur, per gradus ascendit, donec tandem supre-
mæ classi Lycæ illius adscriberetur. Quod dum
factum est, magnas gratias debere se profitetur cla-
rissimo & eruditissimo Viro JOHANNI HOFFMAN-
NO, qui Scholam istam magna cum laude regit, at-
que maxima fide, parique dexteritate studia scho-
lastica nostri Candidati feliciter moderatus est. Cum
autem utilissimis rebus sic excultus esset, in Acade-
miam Salanam omnium ore celeberrimam iussu au-
toritateque Parentum aliorumque, quorum consi-
liis

liis regebatur, venit. Adjunxit ibidem ad studia pri-
ora, Philosophica, atque Doctoribus eximiis, do-
ctissimis atque nobilissimis viris BRAUNIO & GER-
HARDO felicissime est usus, quorum industria atque
doctrina eo profecit, ut ad Juris artem bene
præparatus accedere posset. Hoc dum fecit, sta-
dia Juris universi, monstrante viam consultissimo
STRUVIO, emensus est. Sed tamen & sedulo ad-
hæsit magnifico atque excellentissimo VVILDVO-
GELIO, consumatissimo Jurisconsulto, & Serenissi-
mi Principis Saxo-Isenacensis Consiliario intimo,
quum exactissime, ut facere solet, varias Juris partes
interpretaretur. Non minori studio excellentissi-
mum Antecessorem BRUCKNERUM, nec non HAN-
NEMANNUM, BECKIUM, doctissimos, & consul-
tissimos viros sectatus est, ex quorum omnium præ-
ceptis & institutis insignem sibi copiam artis scien-
tiæque legalis comparavit. Perpulit illum postea
ardor discendi in illustrem Fridericianam Academi-
am, quæ Halis floret, ubi celeberrimum auditorium
THOMASIANUM assidue frequentavit; Simul-
que etiam aliis præstantissimis viris, & excellentissi-
mis JCtis omni laude conspicuis, diligens adfuit au-
ditor. His peractis cogitare cœpit, non sibi tan-
tum, sed publicæ etium rei quæsitus esse, quod
per suos labores ac diligentiam comparavit.
Quam ob causam in lucem fori & medium homi-
num


74 3061 08

num prodire constituit, atque, ut cum decore id fieri posset, honores Academicos a nobis modeste petiit. Admissus ad examina bene stetit, & talem se præstítit, ut ordo decreverit, facultatem publica specimina edendi Candidato huic concedendam esse. Itaque proxima die Jovis disputationem inauguralem *de Sensu vero Legis Anastasianæ*, D. V. publice habebit, quam honoratissimus Collega noster, Excellentissimus Dn. BEYERUS moderabitur. Meum vero est, ut Magnificum Dominum PRO-RECTORREM, Illustrissimum Dominum Comitem, Perillustrem Dominum Baronem, Patres denique & Cives Academiæ, omnesque, qui rebus hisce bene cupiunt, omni observantia, cultu & studio rogem & precer, uti Illustri & honorifica sua præsentia solennem hunc actum cohonestare velint. Dabimus operam, ut magnum hocce benevolentiae genus gratumque officium omnibus modis queamus redhostire.
P. P. XII. p. Trinit. M DCC XI.

VITEMBERGAE,

LITERIS GERDESIANIS.

B.I.G.



Q.R. 156. (11)

III, 21,

Ve
3062

de Jure Vicariorum Super
Academias conformando

X2313674

**DECANUS
ORDINIS JURIDICI
IN ACADEMIA WITTENBERGENS
CASPAR HENRICU
HORNIUS, JC.**

Codicis Prof. Publ. Consiliarius Regius
& Electoralis in Senatu Provocationum
nec non Collegiorum Juridicorum, quæ hic sunt,
Assessor,

LECTURIS OMNIBUS

S. P. D.

